

ierosolomis bene uixisse laudabile est, loco: ac sic et de ierosolimis et de brittannia equaliter patet aula regni celestis, patriam coniecto, quin tamen aufim Bedam adpellare.

CCCLXIV.

U. 102 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 130. 8. nitide perscriptus, Librorum initiis et fronte, quae *Matthiae Corvini Hung. Regis insignia* praefert, picturata, inscribitur purpura: *De uero iudicio et prouidentia dei et ipsius gubernatione hominum et rerum mundi huius: libri octo beati Saluiani (additum recentius massyliensis) Episcopi ad Sanctum Salonium Episcopum (additum Vienstensem). Prooemium. In ita: Sancto episcopo Salonio Saluianus episcopus in domino salutem. Omnes admodum homines qui pertinere &c. Et Liber I. Incuriosus a quibusdam et quasi negligens humanorum actuum deus dicitur &c. Et Liber VIII. finit: que patiantur et que fecerunt. Retinet Codex hic etiam post *Rittershusii* et *Baluzii* curas pretium suum inde, quod ex eo *Joh. Alex. Brassicanus* noster aureum hoc *Saluiani* non Episcopi, sed Presbyteri *Massilien.* circa *Coloniā Agripp.* oriundi, circaque an. 485. defuncti, ut pluribus *Hist. litter. de la France* T. II. p. 517. et *Fabricii Bibl. med. Lat.* XVIII. docent, Opus cum Literatis opera *Frobenii Basil.* 1530. f. communicaverit. An eum *Ludovici* Regis adolescentis dono, ut*

de quibusdam graecis Autoribus in sua ad *Cpb. de Stadion Ep. Augustanum* Praefatione fatetur, habuerit, an vero commodatum solum, ut typis ederet, in comperto non est. Utcunque se etiam res habeat, *Ludovico* a. 1526. paludibus *Mobacsinis* hausto, et occupata mox a *Solymano Buda* opportune Codici accidit, a Bibliotheca abfuisse. Habet ille in marginibus manu *Brassicani* eadem Summaria, quae nunc in Editione cit. visuntur, habet et Numeros ad loca, ad quae ille Annotationes meditabatur nunc sub iisdem Numeris p. 54. ad *Saluiani* calcem adjectas. Adjutum tamen et alio Codice fuisse suadent subpletiones et emendationes, quas quandoque in ora videas. Ita statim in *Prooemio* a prima manu defuit: *materias sibi delegissent. Fol. 3. p. 2. nunc dicantes* emendatur per *vindicantes* &c.

CCCLXV.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 2132 X. Folior. 75. 4. min. optime servatus, nitidissime scriptus et rubro distinctus ita caractere majusculo insignitur: *In hoc Codice. Continent. Alcimi. auiti. Vienstensis. Episcopi. Libri. Numero. VI. Feliciter. De Inicio mundi. liber. Primus. De originali peccato liber. II. De Sentencia Dei liber. III. De diluio mundi liber. IIII. De transitu Maris liber. V. De consolatoria laude Castitatis. liber. VI. Dixi alio hujus Vol. loco, ut Index docet, de his Poematibus et Au-*